



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

IX. Quòd omnia ad Deum, sicut ad finem ultimum sunt referenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Me siquidem malè amando , me perdidī : & te solum quærendo , & purè amando, me & te pariter inveni , atque ex amore profundius ad nihilum me redēgi.

Quia tu, ô dulcissime , facis mecum supra meritum omne, & supra id , quām audeo sperare vel rogare.

3. Benedictus sis Deus meus; quia licet ego omnibus bonis sim indignus , tua tamen nobilitas & infinita bonitas nunquam cessat bene facere etiam ingratis , & longè à te averfis.

Converte nos ad te , ut simus grati , humiles , & devoti ; quia salus nostra tu es, virtus & fortitudo nostra.

C A P U T I X.

Quod omnia ad Deum , sicut ad finem ultimum , sunt referenda.

1. **E**li , ego debeo esse finis tuus supremus & ultimatus , si verè desideras esse beatus.

Ex

E
R
S
eo
cap

Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sapientius ad seipsum & ad creaturem malè incurvatus.

Nam si te ipsum in aliquo queris, statim in te deficis & arescis.

Omnia ergo ad me principaliter referas; quia ego sum, qui omnia dedi.

Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia: & ideo ad me, tanquam ad suam originem, cuncta sunt reducenda.

2. Ex me pusillus & magnus, pauper & dives, tanquam ex fonte vivo, aquam vivam hauriunt.

Et qui mihi sponte & liberè deserviunt, gratiam pro gratia accipient.

Qui autem extra me voluerit glorificari, vel in aliquo privato bono delectari, non stabilitur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur & angustiabitur.

Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem

tem attribuas : sed totum da Deo,
sine quo nihil habet homo.

Ego totum dedi, ego totum te ha-
bere volo, & cum magna districtio-
ne gratiarum actionis requiro.

3. Hæc est veritas , quâ fugatur
gloriæ vanitas.

Et si intraverit cœlestis gratia &
vera charitas , non erit aliqua invi-
dia, nec contractio cordis , neque
privatus amor occupabit.

Vincit enim omnia divina chari-
tas, & dilatat omnes animæ vires.

Si rectè sapis, in me solo gaudebis,
in me solo sperabis : quia nemo bo-
nus : nisi solus Deus , qui est super
omnia laudandus , & in omnibus
benedicendus.

C A P U T X.

*Quod spredo mundo, dulce est ser-
vire Deo.*

6. **N**unc itaque loquar , Domi-
ne , & non filebo ; dicam
in auribus Dei mei, Domini mei , &
Regis mei, qui est in celo :

O quam